Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 24. Januarii.

M. ANTONIO VARIN, Doctore Medico, Præſide.

An à quibus Vita, ab iiſdem Morbus?

ANIMALIUM corpus nihil præter tubulorum congeriem. Quidquid in eo ſolidi ſubeſt, illud idem tubulum voca. Quemadmodum venæ, arteriæ, nervi, inteſtina, ſimiliter oſſa, glandulæ, cerebrum ipſum, membranæ meritò tubuli habeantur. Tubulus corpus ſolidum eſt tranſituro liquori pervium. Ecquid in viventium corporibus non ſolidum, & fluenti liquore non perfuſum? ab his tota viventis compoſitio; ex ſolidis ſcilicet, quæ tubuli ſunt, ex liquidis, quæ indeſinenter per hos tranſeundo tubulos, cunctas vitæ actiones edunt. Hæ diverſæ ſunt pro diverſâ partium, à quibus & in quibus fiunt indole. Cadaver iiſdem ac vivens partibus ſolidis inſtructum apparet, ſed non iiſdem fluentibus. Quare vitam circuitui ſanguinis (quem vulgus circulationem appellat) adſcribere ne pertimeſcas. Ab eo bene vivere datur. Ille circuitus ventriculi culinâ, atque auxilio, alimenta in chylum immutat, quem ſecernit à fæcibus in inteſtinis, & quem exinde per venas lacteas, in ſinum ipſius ſanguinis fluentem pellit, ut ibi in propriam cruoris Naturam mutet, convertat. Is motus circuitionis ſanguinis, diverſos quibus ipſe componitur ſuccos fermentatione Naturales reddit, eoſque ex ſe in varias corporis partes fundit, quibus tamen ſuccis ipſe indiget, quos poſtea ab iiſdem partibus, quibus crediderat ipſe, mutuatur. In hac effuſione liquorum, & eorumdem receptione, poſitum eſſe orbicularem cruoris motum cenſeas; Qui illum motum in viventibus negat, cœcutit ille, & ſolem dicere falſum audet. Eo ſublato funditus & derepente perit calor, atque in ventos vita exhalata recedit. Melius itaque vitam continuatione circuitus ſanguinis definies, quam ſi eam, caloris permanſionem in humido radicali vocaveris. Cave credas calorem eſſe quid in corpore poſitivum. Senſationis ſpecies eſt ſolummodo. Illius ſedes in animâ, non in corpore: benè autem occaſio excitandæ ſenſationis corpus credatur; calorem tamen duplicimode interpretare, vel impropriè, pro eo videlicet, quo corpus aliquod valet calefacere, vel propriè, pro calefacientis perceptione. Priori modo, motus quidam eſt partium corporis, quod vulgo calidum dicitur, altero modo, ſenſatio eſt, hæc in animâ, Ille in corpore reſidet. Fallax quippe & turpis error eſt idem in igne arguere, quod in animâ perſentitur. Animæ & corporis jura toto cœlo diſtant. Ille calor impropriè dictus à motu peculiari non diſtinguitur, & omnium functionum corporis auctor perhibetur. In ipſo ſanguinis, & ſpirituum circuitu poſitus eſt, & hic eſt quaſi Deus, agitante caleſcimus illo, unde poſito hoc circulari motu, ponitur vita.

TEMPUS bene definitur menſura durationis rerum. Vita tempus animalis dici poteſt, id verò duratio actionum vitalium, quæ à primâ pulſatione cordis in fætu, ad extremam in adultis dinumeratur, hinc forſan cor primum vivens & ultimùm moriens traditur; concreta ſanguinis ipſius motui adverſa ſunt, & adeo vitæ ſervandæ inimica, ut qui ſpiritum vitrioli, aut aliud quodvis valens acidum injectione in venas intrudit, ille lethæa papavera miſcet; hac mixturâ acidi cum ſanguine animal ſubitò metas dati pervenit ad ævi. Salia ſurſùm efferi apta, quantum poteſt, huic acido concretionem promoventi medentur: hæc ſalia tum abſorbendo acida, tum diluendo, atque ſolvendo concretiones, ſanguinem priſtino motui vitæ retinendæ requiſito reſtituunt. Motus ſanguinis abſque multarum ejus partium diſpendio, atque diſſipatione non intelligitur. Ita ad vitam diutius retinendam actiones abſolutè neceſſariæ ſunt, nutritio, quæ accretionem ad tempus parit, reſpiratio, & ſpirituum animalium in ſingulas vivi corporis partes diſtributio. His functionibus multæ famulantur aliæ ignobiliores, inter quas non reperitur attractio. Impulſione rerum utilium ſingula hæc præſtat optanda ſanguinis motus, qui ſalutares ambroſiæ ſuccos liberè fundit, & res ſi qua diu mortalibus ulla eſt, hæc propter illius gratioſi fontis perennitatem. Fons iſte, alimentum proximè ſcilicet nutriens ad ſingulas, & quidem remotiſſimas partes mittit, amandat. Fermenta in aliis partibus recondit, ut bilem in cyſtide ab hepatis glandulis ſecretam, in pancreate ſuccum pancreaticum in duodemum effundendum, melancholicum liquorem in liene. Horum ſuccorum, multorumque aliorum ſecretiones tot ſunt circuitionis ſanguinis ſpecies & effectus, qui vitam tuentur. Hinc illi jure canitiem & longos ſibi promittunt annos, in quibus hic motus ſanguinis, in quo vita ponitur, perbelle ac placidè perficitur.

NIHIL eſt ab omni parte beatum, quod aliquando juvat, illud ſæpè nocet. Calor qui vitam fovet, vitam deſtruit, is, ut loquuntur, ſicut flamma oleum, humidum radicale depaſcitur. Sive Naturalis, ſive ſit contra Naturam calor ſpecie non differt, ſed ſolo intenſionis gradu. Prioris actione tempora labuntur, taciti ſque ſeneſcimus annis. Poſterioris violentiâ promptius triplices Deæ noſtra fila reſolvunt, vitam enim adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas. Quantumvis temperatus ſit calor, ſemper aliquid à partibus corporis detrahit, & millies repetito liquorum motu, pori cribrorum corporis ab eo dilatantur, aut viſcidæ aut tartareæ materiæ adhæſione, quam in iis deponunt, permeando ſucci anguſtantur & comprimuntur. Hinc immortalia ne ſperes monet annus, & almum quæ rapit hora diem. Partes corporis liquidæ mutuis ſtant, ſervanturque præſidiis, mutuis quoque viribus ſibi bellum inferunt, ſeſeque perimunt. Acetum ſtillatitium ſolvit coralla, Margaritas, ab iiſdem etiam hebetius redditur. Quapropter qui in dies generatur ſanguis, cribrorum immutatione impurior, acriorque magis ac magis, aut ignavior fit, quo tarda ſenectus debilitat vires animi, mutatque vigorem. A ſanguinis ſcaturigine bilis ſuccus pancreaticus, melancholicus, acidum ventriculi, & ſpiritus hauriuntur. Hi ſucci partes quas trajiciunt, & in quibus naturaliter coërcentur, terunt, vitiant. Machinæ hydraulicæ ab aquâ moventur, ab eâque evertuntur. Aquæ ſalientes tubulos plumbeos percurrendo perforant, rumpunt. Spiritus animales voluntarios motus edunt, non ſoli, ſed ſanguinis arterioſi acceſſu, qui ſimul æquâ proportione ſibi reſpondentes, blandum fermentatione calorem excitant, ſimulque extendunt partes, dilatant, & ſenectutem ſine immunitate maturant. Spirituum abundantia robur corpori addere creditur, ſed interdum moram rugis inſtantique ſenectæ non affert, indomitæque morti, ſic inimici hominis domeſtici ejus dici poſſunt. A ſanguinis circuitu bene vivere dedimus, ſed nunc ab eo ægrotare, mori quis inficiabitur. Sic prima quæ vitam dedit hora, horaque carpſit, naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet.

QUEMADMODUM virtus, ſic ſanitas inter duo extrema medium tenet, ea languidiorem, aut violentiorem ſanguinis motum æqualiter metuit, ac veretur. Immodica fermentatio ſanguinis conſanguineum lethi ſoporem fugat, nec feſſa diurnis membra miniſteriis nutrit, reparatque labori. Illa ſive eſſentialem cum ſuis accidentibus febrem, ſive ſymptomaticam accerſit. Contra in nimis imminuto fermentationis motu frigent effætæ in corpore vires. Violenta fermentatio ſolvit ſanguinem, eum acriorem facit, ſalia evehit, vaſa diſtendit, ab eâ ſpiritus tenues evaneſcunt in auras, ab eâque glandularum & carnium pori, qui hunc teneri non poſſunt perferre laborem, dilaniantur; hinc vitiatis fermentorum colis, pereunt coctiones, ſcaturiunt morbi. Hydrops triplex, aſcites ab effuſo ſero aut chylo in abdominis capacitatem. Leucophlegmatia, cum idem ſerum in habitum corporis eructatur, ibique ſtagnat, muſculos ac integumenta infarciens. Denique tympanites, qui à flatibus ortum habere fertur, quos abſque ſero, aut à quovis humore ſejunctos nunquam agnoſcimus; ſunt & aliæ hydropis partium ſpecies, quæ licet ſitu, non cauſis differunt. Apoplexia vel à ſanguine, vel à viſcoſo mucoſoque humore cerebrum obruentibus oritur. At hi morbi cum Catharro, Aſthmate, Rheumatiſmo, Paralyſi, & infiniti penè alii affectus tot ſunt circuitus ſanguinis vitia. Itaque ille dies primus lethi, primuſque malorum cauſa eſt, qui tardiorem aut citatiorem ſanguinis motum, à quibus pendet morborum cohors peperit.

SENECTUS morbus naturalis eſt, morbus naturalis mors tacito pede irrepens. Singulis animantibus inſita ſunt morbi & mortis ſemina. Peritus in medendo eſt, qui illorum impetum retardat: ſed illa ſemina auferre nemini datur; ætates quibus vitæ ſpatium dirimitur, tot ſcalarum gradus ſunt nihil miſerantis Orci. Hi ruinæ periculum ſternunt, non aſſenſum parant, totque temperamenti mutationes ſunt, quæ à ſanguinis motu producuntur. Quod ſemel intra ſanitatis limites continetur temperamentum, id nunquam immutaretur, niſi ſanguinis motus ſeipſum perimeret, aut ipſe ab aliqua exterius adveniente cauſa mutationis occaſionem nanciſceretur; ut aliquis curſum, quem dederat Natura, peragat, alimentis ille indiget, quæ dum partium diſſipatam triplicem ſubſtantiam inſtaurant, eaſdem partes debilitant, terunt.

Ergò à quibus Vita, ab iiſdem morbus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Baptiſta Dodart.
M. Philippus Douté.
M. Amandus Douté.
M. Franciſcus Goüel.
M. Antonius Varin, Præſes.
M. Nicolaus Brunel, de la Carliere.
M. Claudius Biendiſant.
M. Dominicus de Farcy.
M. Henricus Mahieu, Decanus.

Proponebat Lutetiæ LUDOVICUS PIQUENOT DE DRAGUEVILLE, Vallonienſis,, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1692.